

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Elemosina ab
cum fonte primo

Plus esse dicimus compati ex corde
quam dare quia quisquis indigenti perfecte compatitur,
minus estimat omne quod dat.

Exteriora largiens quod est extra semetipsum prebet.
Qui autem fletum et compassionem proximo tribuit,
ei etiam aliquid de semetipso dedit.

Gregorius in moralibus.

Plus autem nonnumquam esse dicimus compati ex corde,
quam dare, quia quisquis perfecte indigenti compatitur,
minus aestimat omne quod dat.

Nisi enim dantis manum bona uoluntas uinceret,
idem praedicator egregius discipulis non dixisset:
Qui non solum facere, sed et uelle coepistis ab anno priori.
Facile quippe est in bono opere oboedire etiam nolentem.
Sed haec magna in discipulis uirtus exstiterat,
eos bonum quod illis praeceptum est et ante uoluisse.
Quia itaque uir sanctus apud omnipotentem Deum aliquando
maius datum nouerat mentis esse quam muneris, dicat:
*Flebam quondam super eo qui afflictus erat
et compatiebatur anima mea pauperi.*

Exteriora etenim largiens, rem extra semetipsum praebuit.
Qui autem fletum et compassionem proximo tribuit,
ei aliquid etiam de semetipso dedit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 20.36
(CCSL 143A, M. Adriaen ed., pp.1054-5, ll.39-54).